

A. O.  
S E R M O  
PARENTALIS  
IN EXEQUIIS  
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI  
PRINCIPIS  
DIVÆ MEMORIÆ  
JOANNIS CASIMIRI  
Poloniæ & Sveciæ  
R E G I S.  
DICTUS  
Sub tempus Comitiorum Regni.

*Varsoviæ in Ecclesia Collegiata Sancti Joannis Baptiste  
Die XVIII. Februarii Anno M DC LXXIII.*

*SACRÆ REGINÆ MAIESTATI*  
**CHRISTINÆ ALEXANDRÆ**  
**REGINÆ SVECIÆ.**

**A N D R E A S O L S Z O W S K I**

Episcopus Culmensis, Poloniæ Pro-Cancellarius F.

**M** Iraberis, REGINA, me ignotum, & toto divisum Orbe, à Sarmatici Vistulæ littore, ad Romani Tiberis ripam, stylo venire. & pauculas chartas dictionis meæ, quibus solennia Justa Divi JOANNIS CASIMIRI Poloniæ & Sveciæ Regis celebraui, Majestati Vestræ publicè offerre. Facio atq; excuso: judicio, & affectu. An justius & decentius sit? Fratrem Regem Reginæ Sorori repræsentari: egregiæ virtutis famam, non cum corpore Casimiri sepultam, hæreditario velut juri, & honori Majestatis Vestræ transcribi: nectam Regias necessitudines vestras, & proximum à stirpe paternâ sanguinem, quàm admirandi exempli, in Fratre & Sorore ultrò Exregibus, geminam imaginem, Divinamq; propè laudem, ad immortalem memoriam propagari. O nobile par! CASIMIRUS & CHRISTINA, o prodigium sæculorum! posuisse Sceptra, thronum sellâ, paludamentum togâ, lucem umbrâ, populos solitudine, gloriam silentio permutasse. quod mille per annos, vix, acnè vix quidem Orbis vidit. vos cælestes animæ, spectaculum Nobis, priscis ac posteris invidendum, fecistis. An non debeam? Reginarum Arctoi Orbis eminentissima, erga Majestatem Vestram affici, & affectum meum palam testari. Episcopus sum; & incrementis Ecclesiæ lætor: cui ex personâ & Orthodoxâ Majestati Vestræ pietate, magnam esse factam accessionem, nemo non intelligit. Tu bellorum Triumphatrix, sub Ecclesiæ svave jugum ire, & Catholicæ Religioni triumphari ambivisti ancilla Christi, quàm Domina rerum dici, fierique elegisti. Te sanctior Roma, in oculis, in manibus fert nutritiam suam, alteram BRIGITAM. Multus ubique per ora hominum, de Majestatis Vestræ laudibus sermo, eorum præsertim, qui



qui literarum aliquâ laude censentur. Neque mihi incompertum, bono animo, & studio, erga prolapsam rem Polonam, Majestatem Vestram propendere. recens inaudiui, magno auctore Nuntio Apostolico, Sveciam, ne nobis laborantibus auxilio defuit, Majestatis Vestræ officiis ultro invitari. Quasi grave & non ferendum, Majestati Vestræ videatur, illo campo barbaros exspatiari, quo gentilitius Regiæ Domus vestræ manipulus, stetit, regnavitque. De affectu meo, quo mortuo Regi obstrictus vivo, Majestatis Ejus olim Minister, non diffundor, nè (quod dictitant) *longior sit prologus, quam fabula*. In aperto sunt beneficia, quibus ille me, plenâ & facili manu cumulavit. amoris etiam debeo, & judicio, quo me, sinceri pro se, donec abdicaret, & postquam abdicaverat, constantis officii testimonio decoravit. Laudari in supremis, Poloniæ Reges, mos pridem accepit, duravitque. \* Sigismundum I. Maćciovius & Cromerus, Augustum Solicovius, Stephanum Varsevicius, Sigismundum III. Lubinius & Lipscius, Vladislaum Soldrsciis, magna dignatione & eruditione viri, copiosè & ornatè dixerunt, scripseruntque. Ego, quod subitaræ, & plane seminocti orationi deficit, aliquando supplere destino: ac vitam resque gestas, IOANNIS CASIMIRI, non oratoriè, sed gravi & fidâ narratione, cùm me præsentis curæ, & tristitia publica dimiserint, accuratior & lætior, in publicum mittam. Nunc parentales lacrymas, quas in Régia Varsaviensi Basilica, Majestates Nostræ, Senatus, Eques, populus Polonus, piis Casimiri cineribus affuderunt, calamo collectas, ac è vetere exemplo, spongiâ velut clausas, Majestati Vestræ transmittô. Et quoniam lacrymâ nil citius arefcit, atramento funeribus concolori, triste mortalitatis Privilegium, ad perpetuam optimi Regis memoriam, Pro-Cancellarius consigno. Accipiet non pro ingrato Majestas Vestra, pro manipulo Regali, fasciculum myrrhæ; meque ex paucis lineis dijudicabit, non quid dixerim, sed quid dixisse voluerim, VIVE.

\* Fuere Maćciovius Ep. Cracov, S. R. E. Card. Cromer. Ep. Varmiensis. Solicovius Archiepis. Leopoliensis, Lubinius Ep. Plocensis. Lipscius Ep. Culmen. deinde Archiepis. Gnesnen. Soldrsciis Episc. Posnaniensis.



# S E R M O P A R E N T A L I S.



Gonè infelicitis officii iterum Minister? qui regnare olim, nunc vivere desinentis, vox fio; atq; in repetito, pridem Majestatis, hodie mortalitatis funere, DIVO JOANNI CASIMIRO POLONIÆ ET SVECIAE REGI, mæstum sermonem impendo Ego, qui depositam, manibus velut meis, è Sacrato capite Coronam, Republicæ tradidi, nunc expositas tristi imagine Regii corporis exuvias, parentali officio terræ trado: & ab externo remoto orbe, Parentis publici, in Natalem Regiam, in familiarem istam Basilicam, funus deduco. Alteri hæc Provincia demandata erat: innuere Majestati Vestræ nuperrimè libuit, eam ut susciperem, mihi abnuere non licuit, ne Regnantis & Regno abdicantis os, mortuo elinguis, an & ingratus? tacerem. Ergo paucis vix horis, à tumultu & opere meo Comitiorum, succisis, meditatam dictionem, in censuræ discrimen mittere, quàm pietatem & gratitudinem, erga Regem benefactorem meum, quam obsequium juslis Majestatis Vestræ, desiderari malui. Sed mihi nec difficilis opera, in exornanda Serenissimâ Umbrâ, JOANNIS CASIMIRI, quem vobis auditoribus, memorare, laudare est, cujus Regias virtutes non adumbrans, sed exprimens, egregiè Majestas Vestra celebrat, cum imitatur; neq; in diminutionem sui dictum existimat, quicquid in Præcessore suo laudatur. Vobis Amplissimi Ordines, in animo, in oculis hæret, vibratq; , quantum in Rege nuper Nostro, dignitatis & splendoris emicuit. Altum à Regibus, à Cæsaribus deductum genus, *per titulos, memoresq; fastos*, veterem Goticorum Regum gloriam, Jagellonidum diuturnam magnitudinem. Austriacorum cælo proximam Majestatem, in se unum, nascendo Casimirus collegit: nasci tamen minus, nec mirum erat, nisi natales majoresq; suos, magnis gestis adæquaret. A primo inclyti ortûs Limine & Lumine, pietatem proximè colloco, quia hæc pulcherrima & verè prin-



princeps, supra omnes Principum virutes, laudesq; assurgit. Catholicam religionem è parentibus, Religionis ardentem zelum, è materno Austriaco ubere derivavit. Quid per vestigia incedam, sacris altarib9, templis, cœnobiis impressa quoq; in hac ipsa insigni Basilicâ, munificentia regia, & religiosæ devotionis monumenta reliquit. quid subductos à conspectu & turbâ Aulæ, in a sceteria, & cellas, statorum devotioni temporum dies: obambulatas pedibus nudis CHRISTI patientis semitas, referam? minutiora hæc sunt. Apostolica loquor, quæ ad miraculum peregit. Arianismum, Poloniæ oris fixum, & longè lateq; grassantem, toto Regno proscripsit: Armenos, ab Ecclesiâ adhuc extorres, Romanæ sedis omnes acquisivit, & subiecit: Græco-Russorum diffusum schisma, valdè depresit; quia Unionem validè auxit, sustentavit: Hæreticos, & Schismaticos, cum plerosque curulibus fulgentes, Electus REX invenisset, neminem Sceptri sui superstitem in Senatu reliquit: Basilicam Thorunensem S. Jacobi, famâ claram, meâ curâ, sua autoritate Catholicis sacris vindicavit; innumeris decretis, Sacerdotiorum jura, fundos, libertatem, asseruit: nulla unquam, præter Sacra Domini bella, cum Ecclesiæ, suisq; hostibus, præliatus est: dignissimus exinde, qui oraculo Alexandri VII. non ambitione, sed sponte Pontificiâ donatum, ORTHODOXI REGIS titulum sibi Regibusq; Poloniæ emeruerit. A pietate ad fortitudinem gradum facio: nec immerito, culmen militaris gloriæ, quæ Regibus propria & palmaria est, Invictissimo Joanni Casimiro, omnes ante sæculi sui Reges asigno. Quid vita ejus nisi militia? regnum palæstra martis? quid anni? nisi castra, acies, triumphus fuere. Iverit aliquis, encomiis Principis sui colligendis, per vestigia camporum, per utrumq; Rhœni & Danubii ripam, sed neq; hæc flumina, inveni bellatori nostro ignorata, aut nomen virtutemq; ejus ignorantia, quæ à militante pro Avunculo Cæsare, Germanicis bellis, Casimiro, fuso hostili sanguine rubuerunt. Ecquis verò tota Polonia campus non Regio sudore ac cruore hostico immaduit? quæ ditio, tellusve, longinqua, & abstrusa, decertantem Regem non aspexit? qui nobilis, vel ignobilis fluvius, non perenniora quam erectas quondam ad Albim, Salam, Ossam, Boleslai nostri ferreas columnas, relicta immortalibus factis, Marti



Gradivo trophæa, memorat ostentatq; ? Ac præliis quidem ille aliquando ambiguus, bello semper invictus fuit. Bella, hostes, victorias recensere, peregrinis fortè oporteat: Vobis armorum ministris, aut comitibus sociisq; periculorum. Viri Sarmatæ, ac Tibi imprimis Serenissime & Potentissimè Rex, rædio, & pro inani habeatur, qui sub Imperatorio ductu Regis Casimiri, prima militiæ tyrocinia trans Borysthenem posuisti, & iuvenilem fermè prætextam, sago mutasti. Quid ego illaboratus Orator, operosè verba connectam? Vestris Equites loquor, quæ vividâ militari facundiâ Sarnovius Mareschalcus Vester, de fortissimo Rege pro vobis dixit, & solenni Abdicatoris Rediplomati inscripsit: *Ille (Casimirum nominat) in egregia facinora promptus, solus ardorem, humida bruma, nives, pruinasq;, vigiliis Castrorum, insimul sitim & famem tolerans, obvio cibo contentus, ac sæpe pro cubili humi acquiescens, insomnes noctes agens, & quoties necessitas vel occasio ferebat, salutem pro periculis subditorum abiciens.*

Video quantum mortali in cælestia fas est ingredi, Regno huic in fatis esse adversis domi forisq; misceri. Ostendere Divina providentia in IOANNE CASIMIRO voluit, quantum, & unus pati malorum valeret, & ipsa bonorum, per unum agere, prævaleret. Admirandum Regem, qui durâ temporum necessitate pressus, non oppressus, tanto gloriosior recuperato Regno, quam si non amisisset, cum viderimus, virtute Regia, recuperari potuisse. Mirandam in Nos fatorum clementiam, admonentem, mala Poloniae momentis in bonum verti, ac rebus perditis, non omnia perditâ existimare. Ac quam invitus in Civilia arma Casimirus surrexit, redintegratæ gratiæ facilitas argumento est. Alexander injurias irridere, remunerari Augustus, dissimulare Tiberius, Titus contemnere, alii aliiq; Maximi Regum condonare & excusare maluerunt: IOANNES CASIMIRUS, præcipuum habuit (quod de se Cæsarum primus jactavit) injuriarum oblivisci, neq; libertati irasci, sed bona ejus & mala scernere: illa amare, hæc non odisse: agnoscere, ignoscere: flectere quàm frangere: maledicta benefactis superare. Nimirum hoc est meminisse electum se à Civibus, quando fortius contra illos, gratiâ pugnes, quàm ferro, citiusq; virtutibus, quàm viribus triumphes.

Par-



Parco de cæteris virtutibus IOANNIS CASIMIRI Regis, referre, Iustitiâ, regnandi prudentiâ, præmiandi delectu, dictorum factorum vè constantia, amore erga subditos, in milites favore, secundarum rerum moderatione, in adversis robore & magnanimitate, ne injurius sim, parcè de his aliisq;, ac promptius nunc, quàm paratius dicendo.

Ad ultimam vitæ lineam, festinus, mentem & stylum diverto. Stamus ad inanem tumulum, & peracti alibi doloris materiam, & atrâ vultus cultusq; caligine hic sistimus. Habent hoc commune magni Principes, cum syderibus, quod in occasibus suis, longè umbras dispergunt. Alio sub sole IOANNES CASIMIRUS occubuit, multâ tamen nocte involvit, terramq; polumq; Polonium. O Polonia! ô Patria! tantumne calamitatum tuarum acervo adjectum sit, ut nè ossa quidem Principis tui (prisco Africani fato) habere liceat? etiam nè hanc felicitatem, invida fors nobis subdlexerit, ut Regales tumulos, monimenta Divorum Majorum, ultimo Jagellonidæ, ultimo Virorum Gustavidæ, subduceret invideretq;, ut Niverniam Cracoviæ, Ligerim Vistulæ, modicum sacellum augustæ Basilicæ, religiosam urnam, Regum Mausolæo antehaberet. Neq; tamen in distans agere desinit dolor, qui per tot regna, tot terrarum spatia, in animos nostros, in universæ Reipublicæ faciem & lugubrem memoriam diffunditur. Habuimus Regem, quem demum intelligimus, postquàm habuimus; quem ferali hac pompâ, & publico Regni luctu, optimum habuisse, testamur; cujus extincti dolorem & memoriam non dies, non ætas, non totus licet letheus Ligeris diluet abolebitq;. Et Gallia quidem humanam necessitatem in supremis IOANNIS CASIMIRI dolere potuit: Polonia orbatas publicas necessitates, non potest non dolere, certè debet. Illa funus dedit, & Regios cineres, sparsis antiquo more sine mærore, Liliis, quam lacrymis, tellure sua contextit; in nos tota exundans dolendi vis è longinquo major, ex intervallo auctior, incubuit Majestas Vestra Patrè & Fratrem, Reginalis Majestas Avunculū, Polonia & Lithuania Regem, & Magnum Ducem, Senatus Principem, Equites Victorem, Libertas vindicem, Collegia Fundatorem, Tempia Tutorem, Archiepiscopi, Episcopi sacras tiaras, Cancellarii, Mareschalci, Thesaurarii, Exercituum Duces, sua quisq; munerum insignia, Casimiri beneficia, manibus complexi,



plexi, fortunæ nostræ auctorem & conditorē delamentamur. Ergo lu-  
getur IOANNES CASIMIRUS Rex in Regno: suone vel alieno? cer-  
tè tamen à suis; atq; ex ipso parentandi munere, & Vestrarum Maje-  
statum, Ordinumq; omnium comploratione, dignoscitur, quem lugea-  
mus. Abdicaverat ille Regis nomen, non Patris, Coronam Poloniæ  
posuit, non curam, non affectum, cui erga Nos sanè eximio, ultimam  
moriens coronidem imposuit. Hoc illud nimirum insigne Principis  
nostri fuit, tametsi ingenti animo Coronam vertice emoverat, ani-  
mum gessisse coronatum. Talem ego, verè Regium, verè heroicum,  
vicinà fato, planeq; cygnea Ejus epistolâ legi, quâ disidiis, casibusq;  
nostris illacrymans, ne quid occasione, & causâ sui suspicionum pro-  
serperet, neve Regnanti, ulla oboriretur molestia, seriò præscripsit.  
Varii plerisq; Principibus mortis aditus; Invidiæ Cato, iracundiæ Sylla,  
ambitioni Alexander, noster hic charitati Patriæ immortalis. An non  
ætas gravitate fregerat? castra, campi, Comitia, turbines *tempestatesq;  
mora*, & quicquid hostium malorumq; adversus Poloniam arietavit,  
dejicere vitâ poterant; altior tamen his, fortiorq; CASIMIRUS se e-  
rexerat, quam ut fortunæ casibus in eum liceret. Unica allata Cameneciæ clades,  
& Podoliæ servitus, quod flere quam eloqui proclivius habeo, spiritum elisit. O  
Patriæ Patrem! non potuisse mori, Patriâ superstiti, hac ruente vivere noluisse.  
*Idem dies Trojæ summus, atq; Hæctori fuit*: aliquando dictum, hodie intuemur. nunc ta-  
men, noster iste Epaminondas, natus quodam modo discitur, quia sic moritur. nec  
dignius & gloriosius ille vivere potuit, quàm cum in benevolentia & affectu erga  
nos, populum suum, ad supremum usq; diem, oblitus sui, memor nostri, spiritum  
traxit; nec immortalis mori, cum heroicam animam, in vulnere & fato Reipu-  
blicæ nostræ, reliquit. Jam intelligimus voces illas philosophantis disciplina: a-  
mantem magis esse, ubi amat, quàm ubi animat; quando amore suæ Poloniæ, uni-  
cæ Patriæ IOANNEM CASIMIRUM Vixisse, deprendimus. Dicamne vixisse?  
an potius vivere, & victurum, hoc posterius obligata pietas, hoc meritorum pace &  
bello memoria, hoc Fratris, Patris, Avorum, Proavorum, Tritavorum Regum, al-  
ta & inclyta series, hoc gratæ & Christianæ mentis officium poscit, ne unquam  
CASIMIRUS, in pectoribus Polonorum, in Vestra, Reges, Proceres, Equites re-  
cordatione, in Ecclesiæ orationibus, Cleri sacrificiis, pauperum gemitibus, popu-  
lorum desiderio, in posthumæ ætatis, & immortalis ævi præconiis, mortalem e-  
gerit. Ego ad ultimum, qui Regi, dum Regno excederet voce clamantis  
dixi: REGNAVIT, nunc mortali vitâ excedenti, voce  
gementis dico:

V I X I T.